Janus Gruterus Henrico Stephano salutem. Nactus familiarem propemodum
occasiunculam, vir clarissime, uti potui uti volui, qui tribus verbis ad
te utique cum in proxima positus vicinia, cuius mihi indicium ab intimo
amicorum D. Posthio praeligit enim is insuper quartus Epistolam tuam
qua parte erat de poëmatis praeceptoris Illustriss. Principis
Brandenburgici Friderici: quae sane satis ad meam salivam.
Et quidem, iam fere saeculum est, quod praestantior illa tua
eruditio, qua literas literatosque adeo omnes perpetuo devinxisti
ita etiam me cepit, ut nihil habuerim magis in votis, quam
te videre, colloqui, cognoscere. Id quoniam per novercalem
Fortunam hactenus non licuit; feci quod potui; & optimas
ipsas genii tui ingeniique dotes intra animi secretum assidue
sum deveneratus affectione religiosa. quam ut iure
promererer, nihil perspicio, nisi singularis humanitas tua
quae longius ab doctrina praecellenti abesse non potest.
nec aberit sane; si sit mihi aliquis inter cultores tuos locus,
ut fore spero; ubi noveris iam plures annos in deliciis mihi
& amoribus, quamvis posito inter barbaras gentes & orbis
huius paene extremas, L. Annaeum Senecam. Cui si certe quid
auxilii adferre videri queam contra putidas Gotofredi coniecturas
ex suspicionum mearum libellis nosse potes. Eius certe non minus
rationibus tibi obligatum pronuper vidi, nactus tuam, ad eius
Lectionem, [illegible]. quod scriptum, etsi mutilum (deerat enim
litera C. in Epistol. ad Dalecampium) saepius tamen retuli ad os
& ad pectus. Et cuperem pol autorem illum tui prorsus
facere beneficio. nam nos nihil possumus nisi voluntate.
quid enim amplius polliceamur errores sine libris sine
sensis! At ecce tamen, incessit me cupiditas semper a,
quam doctores viri miris incenderunt modis, (quorsum è nu-
mero unus non è multis nobiliss. Philipp. Camerarius à Frax-
inis) colligere in unum omnes omnino fere emendationes
interpretationes annotationes, qui ei philosopho bene
voluerunt. Id opus prodibit, cum Deo, nundinis Francofurten-
sibus proximis. cui si quid tua sagax industria depromere
potest; quaeso ut primo quoque communices tempore, nactusque
inveniis & gratiam. ita vivam, ita valeam. Plura cuperem
garrire: sed avocor si enim nescis, hunc adveniens incidi
in vincula nuptialia: iamque adeo sponsum ago, nactus conti-
nem lectissimam virginis Iohannae, Nobilis viri Henrici Smetii
Archiatri quondam Friderici tertii Electoris, nunc vero huius Aca-
demiae professoris medici, filiam. Quare ignosce homini aliarum
cogitationum, excuseque scripti huius festinam impolitiem: sique non
Epithalamium aliquod, ut bis erubescam, devinctissimo tibi ultro
puta. Vale & salveant à me tibi nobiliss. Hieronymus à Staffelt,
in contubernio Illustriss. Principis Brandeburgensis & huius Rector juvenis. Heidel-
gae vix uno stans in pede Junii die XXVII 1592.

Clarissimo praestantissimoque
viro Dno Henrico Stephano
amico observando

— Argentoram

Gruterus.